rum etiam et mei, ne tristitiam super tristitiam haberem.

tem novam) tristitiam super (multam aliunde) tristitiam haberem.

Festinantius ergo misi illum ut viso eo iterum gaudeatis et ego sine tristitia sim.

Festinantius ergo misi illum (ad vos), ut, viso eo, iterum gaudeatis, et ego, (qui de mœrore vestro mœstus sum), sine (hac) tristitia sim.

Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino et ejusmodi cum honore habetote,

Excipite itaque illum cum omni gaudio (ut fratrem et patrem vestrum) in Domino; et (virum christianum) ejusmodi cum honore (et in pretio) habetote,

Quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam ut impleret id quod ex vobis deerat erga meum obsequium.

Quoniam, propter opus Christi (quod suscepit cum suo periculo ne pro Christo incarceratum adire ausus est), usque ad mortem (morbo lethali) accessit, tradens animam suam (et suæ vitæ non parcens) ut (apud me) impleret (et suppleret) id (sublevationis ministerium) quod ex vobis (expectare poteram) erga (seu quoad) meum obsequium, (et quod vosmetipsi utpote absentes adimplere nequivistis).

CAPUT III.

Judaizantes et hæreticos refutat Apostolus, docetque contra eos salutem non a lege Mosis sed a Christo incarnato et crucifixo petendam esse. Docet etiam se non esse perfectum sed tendere ad perfectionem. Insectatur inimicos crucis Christi.

De cætero, fratres mei, gaudete in Domino. Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.

De cætero (seu, quoad id quod superest), fratres mei, gaudete in Domino (Jesu Christo qui vobis hanc duplicem de me in vinculis gaudente et de Epaphrodito bene valente consolationem impertivit). Eadem (toties) vobis scribere mihi quidem non

(est) pigrum (seu molestum, præ charitate qua vos complector); vobis autem, (seu quoque, illa multoties audire) necessarium (est, ut inde vigilantiores et tutiores evadatis contra eos qui vobis insidiantur).

Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem.

Videte (igitur et nolite audire hos) canes, (scilicet judaizantes); videte (et nolite audire hos) malos operarios, (scilicet, pseudoapostolos qui Judaismum Christianismo miscere volunt); videte (et a vobis repellite illos qui vobis carnis) concisionem (seu circuncisionem tanquam saluti necessariam imponere præsumunt):

Nos enim sumus circuncisio, qui spiritu servimus Deo et gloriamur in Christo Jesu, et non in carne fiduciam habentes;

Nos enim (christiani), sumus (vera) circuncisio (et soli vere circuncisi) qui, (non confidentes in carne circuncisa, sed in) spiritu (carnalia desideria et judaicas cæremonias circuncidentes et resecantes, spiritualiter) servimus Deo et gloriamur (in sola fide quam habemus) in Christo Jesu, et (qui sumus) non in carne (circuncisa nec in legis mosaicæ cæremoniis) fiduciam habentes. (Ne putent Judæi me sic de circuncisione præ invidia maledicere),

Quanquam ego habeam confidentiam et in carne: si quis alius videtur confidere in carne, ego magis:

Quanquam (seu siquidem) ego (quoque, sicut illi), habeam (unde) confidentiam (et gloriationem habere possem, si vellem, in circuncisione) et in carne (et nobilitate et scientia legis quibus ipsi gloriantur; et) si quis alius (judæus) videtur (seu præsumit) confidere in (hac) carne, ego (pariter et), magis (quidem quam ille, his carneis commodis gloriari possum. Nam et ego)

Circuncisus oc-

Circuncisus (sum, juxta legis præce-

tavo die, ex genere Israel, de tribu Benjamin, hebræus ex hebræis, secundum legem pharisæus,

ptum), octavo die (post nativitatem meam; et ego ortus sum) ex genere (et stirpe) Israel, ex tribu Benjamin (inter tribus fortissima), hebræus ex hebræis (laudatissimis, tam stricte vivens) secundum legem (ut non tantum judæus sed etiam) pharizæus (essem ; imo et)

Secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundum justitiam quæ in lege est, conversatus sine querela.

Secundum æmulationem (meam et zelum meum pro lege fui) persequens Ecclesiam Dei ; (et) secundum justitiam, quæ in lege (præscripta) est, conversatus (sum) sine (ulla) querela (seu reprehensionis causa adversum me data) :

Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta.

Sed (ea carnis commoda) quæ, (dum judæus essem), mihi (visa) fuerunt (in magno pretio et quasi magna) lucra, hæc (a conversione mea) arbitratus sum propter Christum (et quoad salutem prout) detrimenta (et impedimenta : nam)

Veruntamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam :

Veruntamen existimo omnia (hæc bona Judaismi et omnia hujus mundi delectamenta esse tanquam) detrimenta (seu bona minoris valoris) propter (seu comparative ad) eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem (sequendum) omnia detrimentum (seu omnium jacturam libenter) feci ; et (etiam ea) arbitror ut stercora ut Christum lucrifaciam,

Et inveniar in illo non habens meam justitiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi, Jesu quæ ex Deo

Et inveniar in illo (prout ejus membrum), non habens meam (propriam) justitiam quæ (ex meis viribus aut) ex lege (mosaica procedens) est ; (non hanc legalem justitiam seu justificationem appeto), sed illam quæ (procedit) ex (ea) fide (quæ) est (fides)

Jesu Christi ; (et hæc), quæ ex Deo (manans) est (et super fidem est innixa, sola est) justitia (a me desiderata et omnibus desideranda. Alia omnia, inquam, pro nihilo reputo, dum perveniam) in fide (seu per fidem)

est justitia in fide,

Ad cognoscendum, (tum per hanc fidem tum per experientiam), illum (Jesum Christum et ejus perfectionem), et (ad cognoscendam) virtutem resurrectionis ejus (qua me resurgere faciet), et (ad intelligendum quam mihi sit proficuum particeps admitti ad) societatem passionum (et afflictionum) illius ; (si enim) configuratus (et conformis fio passioni et) morti ejus, (experiar)

Ad cognoscendum illum et virtutem resurrectionis ejus et societatem passionum illius, configuratus morti ejus,

Si quo modo (seu quòd isto modo dignus ero) quòd inter sanctos et electos Christo) occurram, (cum vocatus ero) ad resurrectionem quæ est ex mortuis (olim facienda. Hoc spero),

Si quo modo occurram ad resurrectionem quæ est ex mortuis :

Non quòd (putem quòd) jam acceperim (seu apprehenderim has supra dictas conditiones, nempe hunc mundi contemptum, hunc justitiæ apicem, hanc perfectam passionis et resurrectionis Christi cognitionem, neque hanc cum Christo similitudinem ; non credo, inquam, sicut plerique inter vos de seipsis credunt, quòd has conditiones jam impleverim) aut (quòd) jam (in his) perfectus sim ; sequor autem) et toto animo persequor hunc scopum, scilicet), si ali(quo modo) comprehendam (Jesum Christum et vitam et vir-

Non quòd jam acceperim aut jam perfectus sim; sequor autem si quomodo comprehendam in quo et comprehensus sum a Christo Jesu.

tutes et perfectionem ejus), in quo (seu sicut ego ipse) comprehensus sum a Christo Jesu, (cum sua dilectione olim me prævenit et fugientem apprehendit ut ad se traheret. Hanc perfectionem),

Fratres, ego me non arbitror comprehendisse ; unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum.

Fratres, ego me non arbitror (jam) comprehendisse : unum autem (totus intendo, hoc scilicet : ea bona opera mea) quæ quidem retro (seu præterita) sunt obliviscens, (ne eorum memoria me superbum et pigrum faciat), ad ea quæ sunt priora (seu mihi in futurum facienda) extendens (sum) meipsum ; (et ad ea tota mente et totis viribus incumbens, cursum jam peractum non respectans, et)

Ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.

Ad destinatum (scopum tendens, viam meam) persequor (ut perveniam) ad bravium (mihi promissum decreto) supernæ vocationis Dei, (confidens et nixus) in Christo Jesu (per quem illud attingere dabitur).

Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus ; et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelabit.

Quicumque *ergo* perfecti (seu perfectionis studiosi) sumus, hoc (idem de nobis) sentiamus, (scilicet nos nondum perfectionem attigisse) ; et si quid aliter (ac ego de perfectione attingenda) sapitis (seu sentitis), et (in) hoc (sicut in multis aliis vos errare) vobis Deus revelabit :

Veruntamen ad quod pervenimus ut idem sapiamus et in eadem permaneamus regula.

Veruntamen (rediens ad illa, quæ jam dixi tum de judaizantibus tum de cursu ad perfectionem, dico nobis curandum esse ut retineamus illud) ad quod (jam) pervenimus, (scilicet), ut idem sapiamus (quoad Christianismum et simus concordes in

Christi fide et moribus), et (sic) in eadem (fidei et vitæ) permaneamus regula. (Igitur)

Imitatores mei estote, fratres, et observate eos qui ita ambulant sicut habetis formam nostram.

Imitatores mei estote, fratres, (in quantum et sicut ego Christi imitator sum) ; et observate (et imitamini quoque) eos qui ita (in via perfectionis) ambulant, (et) sicut habetis (nostrum ambulandi exemplar et) formam (vitæ) nostram.

Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi,

Multi enim (inter vos aliter quam ego) ambulant, (Christi crucem negantes, in otio et in deliciis et in judaicis cæremoniis viventes), quos sæpe dicebam vobis, (ut) nunc *autem* et (iterum) flens dico, inimicos (esse) crucis Christi ;

Quorum finis interitus, quorum deus venter est, et gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt.

Quorum finis, (si pergunt, erit æternus) interitus, (siquidem ex iis sunt) quorum deus venter (seu gula et libido) est, et (quorum) gloria (seu gloriatio vana desinet) in confusione ipsorum (et horum omnium) qui, (sicut illi, nonnisi) terrena sapiunt (et quærunt. Non item de nobis erit) ;

Nostra autem conversatio in cœlis est, unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum,

Nostra autem conversatio (et vitæ ratio ad cœlestia bona tendit, sicque) in cœlis est ; unde *etiam* Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum

Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum opera-

Qui, (ob hanc cœlestem conversationem nostram), reformabit (seu transfigurabit hoc) corpus (quod nunc est instrumentum) humilitatis (et abjectionis) nostræ, (et reddet illud) configuratum (et conforme)

tionem qua etiam possit subjicere sibi omnia.

corpori (suo glorioso et particeps) claritatis suæ, secundum operationem (potentiæ suæ) qua *etiam* possit (seu potest) subjicere sibi omnia (proindeque mortem et corruptionem, ut inde gloriam et incorruptionem corporibus nostris inserat).

CAPUT IV ET ULTIMUM.

Philippenses ad concordiam, gaudium, orationem, modestiam, honestatem, omnemque sanctimoniam, hortatur Apostolus. Laudat eorum erga se sollicitudinem et benevolentiam, eosque docet se scire abundare et penuriam pati. Eis bene precatur eosque salutat.

Itaque, fratres mei charissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea, sic state in Domino, charissimi.

Itaque, fratres charissimi et desideratissimi, (vos qui, propter vestram in fide constantiam, estis) gaudium meum et corona mea, sic (et eodem modo quo vos docui) state in (fide quam) Domino (debetis, o) charissimi.

Evodiam rogo et Syntichen deprecor idipsum sapere in Domino.

Evodiam rogo et Syntichen, (inter quas aliquod dissidium esse audivi), deprecor (ut velint) idipsum sapere (et sentire) in Domino (et juxta leges christianæ charitatis) :

Etiam rogo et te, germane compar, adjuva illas quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente et cæteris adjutoribus meis, quorum nomina

Etiam rogo et te, germane compar (et sincere collega laboris mei), adjuva illas (duas feminas supra dictas) quæ mecum laboraverunt in Evangelio (promovendo) cum Clemente et cæteris adjutoribus meis, quorum nomina (inscripta) sunt in libro vitæ (et electorum. Vos vero)

sunt in libro vitæ.

Gaudete in (afflictionibus quas pro) Domino (suffertis) ; iterum (vobis) dico : gaudete, (in memoria revocantes beneficium vocationis vestræ qua vocati estis ad fidem et ad vitam æternam).

Gaudete in Domino semper ; iterum dico : gaudete.

Modestia vestra (seu moderatio vitæ vestræ et patientia vestra) nota sit omnibus hominibus, (ut eam videntes imitentur), quoniam Dominus prope est (qui mox ejus mercedem dabit vobis).

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus ; Dominus prope est.

Nihil (quoad bona aut mala temporalia) solliciti sitis ; sed in omni oratione et (frequentissima fervidaque) obsecratione (juncta) cum gratiarum actione (ita instate, ut) petitiones vestræ innotescant (et ascendant) apud Deum :

Nihil solliciti sitis ; sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum :

Et (oro ut) pax Dei, (quæ de bona conscientia procedit et) quæ exsuperat omnem sensum (seu intellectum, omnes dæmonis et carnis et mundi suggestiones repellendo) custodiat corda vestra, et intelligentias vestras (servet) in (fide et gratia quam a) Christo Jesu (accepistis).

Et pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu.

De cætero, fratres, quæcumque sunt vera (et christianæ legi doctrinæque conformia), quæcumque (sunt) pudica (seu honesta), quæcumque (sunt) sancta (seu casta et pura), quæcumque (sunt) amabilia (seu ad concordiam promovendam idonea), quæcumque bonæ famæ (honorem vobis afferre valent), si (ali)qua virtus (vobis se colendam præstat), si qua, (cui) laus (debetur, regula) disciplinæ

De cætero, fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate :

(vobis observandam se obtulerit), hæc cogitate (et in pretio habete. Item)

Quæ et didicistis et accepistis et audistis et vidistis in me, hæc agite ; et Deus pacis erit vobiscum.

Quæ et (a me) didicistis et (a me) accepistis et (a me) audistis et vidistis in me, hæc agite ; et Deus (qui est auctor et amator) pacis erit vobiscum. (Scio quòd refriguerat charitas vestra erga me) ;

Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire sicut et sentiebatis ; occupati autem eratis.

Gavisus sum autem in Domino vehementer quoniam (seu quòd, novo spiritu afflante), tandem aliquando (reviruistis et) refloruistis (et iterum incœpistis) pro me (bene) sentire ; (et scio quòd nunc erga me sentitis) sicut et (olim) sentiebatis ; (ne credatis me hujus erga me frigoris rancorem contra vos servavisse ; novi enim quòd aliter) occupati eratis (et mihi subveniendi opportunitatem non habuistis. Hoc),

Non quasi propter penuriam dico : ego enim didici in quibus sum sufficiens esse ;

Non quasi (dolens) propter penuriam (meam) dico : ego enim didici (circunstantiis) in quibus sum (vel iis quæ mihi ad manum sunt) sufficiens (seu contentus) esse ;

Scio et humiliari, scio et abundare, ubique et in omnibus institutus sum et satiari et esurire et abundare et penuriam pati :

Scio (quo animo esse debeam, cum Deo placet me) humiliari ; scio et (etiam animo esse moderato, cum sinit me) abundare ; ubique et in omnibus (a Christo) institutus (et edoctus sum sive) et satiari et esurire, (sive) et abundare et penuriam pati. (Hæc)

Omnia possum in eo qui me confortat.

Omnia (sustinere) possum, (fretus) in eo (Jesu Christo) qui me confortat.

Veruntamen bene fecistis communicantes tribulationi meæ.

Veruntamen bene fecistis (pro me et pro vobis, cum fuistis) communicantes (et subvenientes) tribulationi (et egestati) meæ.

Scitis autem et (recordamini) vos, Philippenses, quòd, in principio Evangelii (vobis a me prædicati), quando profectus sum a Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati et accepti (et suis temporalibus donis non compensavit spiritualia dona quæ a me acceperat), nisi vos soli ; (recordor enim)

Scitis autem et vos, Philippenses, quòd, in principio Evangelii, quando profectus sum a Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli,

Quia (seu quòd) et Thessalonicam semel et bis (id quo indigebam) in usum (meum) mihi misistis : (quod vobis in memoriam revoco),

Quia et Thessalonicam semel et bis in usum mihi misistis ;

Non quia quæro (aut desidero quòd aliquid mihi sit) datum ; sed (ex vestris donis pro vobismetipsis) requiro (seu spero) fructum abundantem (colligendum esse, et a Deo), in ratione vestra (quam ei reddituri estis, computandum fore. Ne autem amplius mei solliciti sitis ; nam nunc)

Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra.

Habeo *autem* (non solum) omnia (quæ mihi sunt necessaria, sed) et abundo (et) repletus (seu saturus) sum, acceptis ab Epaphrodito (iis donis) quæ (mihi) misistis (et eleemosyna vestra, quam existimo esse quasi sacrificium ascendens ad cœlum in) odorem suavitatis, (et quasi) hostiam acceptam (et) placentem Deo. (In compensationem vero hujus charitatis vestræ, oro ut)

Habeo autem omnia et abundo, repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.

Deus *autem* meus impleat omne desiderium vestrum secundum divitias suas (et misericordiam suam, ita ut omnibus hujus vitæ necessariis abundetis et insuper ad-

Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum secundum divitias suas in

gloria in Christo Jesu.

mittamini) in gloria (vitæ futuræ) in Christo Jesu (seu per Christum Jesum).

Deo autem et Patri nostro gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Deo autem et Patri nostro (reddatur) gloria (et gratiarum actio) in sæcula sæculorum. Amen.

Salutate omnem sanctum in Christo Jesu.

Salutate omnem sanctum (seu christianum) in Christo Jesu (baptizatum).

Salutant vos qui mecum sunt fratres. Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Cæsaris domo sunt.

Salutant vos (illi) qui mecum sunt fratres. Salutant vos omnes sancti (christiani), maxime autem (ii) qui de (Neronis) Cæsaris domo sunt.

Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

Gratia Domini nostri Jesu Christi (sit et maneat) cum spiritu vestro. Amen.

FINIS EPISTOLÆ AD PHILIPPENSES.

EPISTOLA AD COLOSSENSES

ARGUMENTUM.

Hac epistola Paulus insectatur Simonem Magum ejusque asseclas, qui Colossis docebant nos non a Christo sed ab Angelis mediatoribus Deo reconciliandos esse. Huic dogmati addebant multas judaicas et gentilitas observationes, nempe dierum et temporum. Hunc duplicem errorem Paulus redarguit, et deinde cuilibet hominum generi dat vitæ et morum documenta, ac demum salutationibus epistolam claudit.

Scripta est anno a Christo 60, Romæ e vinculis et anno vinculorum secundo.

CAPUT PRIMUM.

Colossensibus eorum fidem et charitatem gratulatur Apostolus, oratque ut in vita christiana crescant, et serviant Deo qui eos transtulit in Ecclesiam Filii sui. Docet, non Angelos, sed Christum Dei Filium esse Creatorem rerum omnium et hominum Redemptorem caputque Ecclesiæ. Hanc redemptionem ad Gentes se extendere docet, seque apud Gentes Evangelii esse ministrum, atque se multa pro Christo pati gloriatur.

Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei et Timotheus frater.

Paulus Apostolus Jesu Christi, (ad apostolatum electus) per voluntatem Dei, et Timotheus, (meus et vester in Christo) frater,

Eis qui sunt Colossis sanctis et fidelibus fratribus in Christo Jesu,

Eis, qui sunt Colossis, sanctis et fidelibus fratribus (baptizatis et sanctificatis) in Christo Jesu, (optamus ut)